



M E L I S S A


EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Quid novi in Melissa ?



*... in America hac aestate feliciter habitum est
conventiculum Latinum*

☞ p. 2

*... imago, quam iuxta videtis, est Upsalense
theatrum anatomicum; de initiis anatomiae legalis*

☞ p. 5

... Miserrimum Erasmus !

☞ p. 7

*... Iacuitne Latinitas saeculo praeterita ? Is qui
hoc credit, errat.*

☞ p. 8

... Cavete diabolum ! Ecce fabula terrificia

☞ p. 12

... Libri, conventus et... erratum

☞ p. 16

Care lector, iam tredecim anni transacti sunt a Melissa condita, cuius pretium subnotationis usque adhuc numquam est auctum. Nunc autem, sumptibus typographicis et praesertim cursualibus interea multum auctis, longe abest ut pecunia subnotationis sufficiat ad Melissam circummittendam. Quare, ut sine dubio intellegis, hoc pretium necessario augendum in futurum erit 500 FB. Gratias tibi agimus pro fidelitate tua.

DE SECUNDO CONVENTICULO LATINO

LEXINGTONIAE IN AMERICA SEPTENTRIONALI HABITO

FELICITERQUE PERACTO NARRATIUNCULAM

SCRIPSIT ACCIUS WATANABEUS AKIHICO

Linguam Latinam nequaquam esse etiam in America Septentrionali mortuam nuper documentum dedit conventiculum alterum Latinum, quod conamen annum anno praeterito a Terentio Tunberg, Professore litterarum classicarum apud Universitatem Kentuckiensem, optimo consilio conditum erat, quodque hoc ipso anno 1997 P.C.N. a die 24 usque ad diem 31 mensis Iulii celebratum est prosperrime. Locus ut ita dicam beatus, quippe ubi vox Latina per unam septimanam resonaverit, urbs est Lexingtonia nominata, inque civitate Kentuckensi sita; regio conamini tali antiquam elegantiam redolenti non incongrua, cum sit ut in hac parte orbis terrarum quadam insignis antiquitate. Domus quoque sive aedificium in quo sessiones habitae sunt cuique nomen Anglicum Gaines Humanities Center solito vetustius est plusque centum abhinc annos exstructum, quamvis sit recenter renovatum instrumentisque modernis instructum; inter quae instrumenta nobis diebus aestivis ibi commorantibus fuit procul dubio maximo adiumento apparatus aeri temperando.

Ratio qua sessiones conventiculi ordinabantur haec fuit. Singulis diebus inde ab hora decima undecimave antemeridiana usque ad horam sextam post meridiem fiebant sessiones ternae, in quibus sessionibus singulis terni fere exsistebant greges, quibus autem gregibus praefecti sunt duces singulis singuli. Hi greges ante unamquamque sessionem a Professore Terentio Tunberg ita constituebantur, ut nos condiscipuli participesque iucundi laboris quammaxime variaremur et nostrum unusquisque ceteros cognoscere omnes atque alloqui possemus.

In sessionibus tria alternabantur exercitiorum genera. Nam erant sessiones quaedam generales nuncupatae, quas sessiones nos non in minores greges divisi sed una solebamus participare omnes. His in sessionibus erat nobis necesse ut locos quosdam ex auctoribus sive antiquis sive recentioribus depromptos viva primum voce recitaremus, deinde textuum sensus nostris ipsorum verbis eisque Latinis redderemus atque

interpretaremur. Talem exercitationem nobis omnibus magno fuisse emolumento credo, praesertim cum non solum legendi et interpretandi augeretur facultas, sed etiam liceret omnibus audire observationes accuratas et de originali textu et de extemporali versione a Professore Terentio Tunberg prolatas, necnon ipsis nostras excogitare opiniones ac proferre. Ceteris autem in sessionibus, in quibus scilicet assignabamur in minores greges, hoc consilio, ut singulis saepius liceret proprias sententias eloqui, modo proponebatur thema quoddam idoneum, exempli gratia historia saeculi vicesimi, de quo conaremur sententias verbis satis Latinis confingere atque enuntiare; modo autem eligebantur imagines variis aetatibus depictae, quas imagines discriberemus et fuse et accurate et Latine.

Participes conventiculi fuimus numero plus minusve viginti quinque, quorum plurimi fuerunt ludimagistri methodos quaerentes efficaciores ad discipulos Latino sermone instituendos, quem finem votumque non dubito quin plerique sint adepti. Sed praeter eos fuerunt professores universitarii quattuor, necnon studentes universitarii quinque, quorum unus ipse fui. Ex nationibus vero convenimus tribus. Nam cum hoc ingens spatium terrae Americam Septentrionalem nominatum una fere natio Americana habitat neque haec continens ut Europa sub diversis divisa sit regiminibus, plerique nostrum ex hac natione oriundi fuerunt Americana. Adfuimus tamen exteri participes duae natione Belgae, necnon unus civitate Iapon, scriptor scilicet huius narratiunculae.

Ex participibus hic praecipue commemorare volo et debo eos, qui munere ducum pro gregibus functi sunt. Vincentius igitur ludimagister Ludovicianensis (id est, ex civitate Louisiana) semper comiter et affabiliter loquebatur et docebat. Hunc antea noverat Romae sub tutela illius Reginaldi alias dux nomine Iacobus historiae studiosus apud Universitatem Chicagensem, qui etiam comiter greges moderabatur et participes ad loquendum amiciter cogebat. Salliola autem, quae munus ludimagistrae in civitate Virginia sustinet,



non solum greges moderari dignata est sed etiam nobis ostendit Fora Romana, ludos visificos in quibus res Romanae Romana lingua explicitantur et tractantur, quibusque faciendis ipsa operam contulerat; hoc iucundissimum opus quod aliquot visocasetae complectuntur omnibus Latinae linguae amantibus vehe- menter commendo.

Sed ut redeam ad duces gregum, et Annula, quae nunc apud Universitatem Angelopolitanam in litteras antiquas incumbit, commemoranda est, si quid opus; quippe quam iam multis Latinitatis Vivae fautoribus sciam esse notam, quaeque insuper hoc ipso tempore praesidis potestate mode- retur Septentrionale Americanum Latinitatis Vivae Institutum (sive S.A.L.V.I.), associationem in America Septentrionali unicam linguae Latinae vivificandae deditam. Haec peritissima

dux in sessionibus nonnullas methodos adhibebat didascalicas ad memoriam facultatemque studentium excitandam et exercendam, ex quibus methodis duas exempli gratia hic describam. Una methodus a discipulis ternis quaternisve consociatis hoc exigit, ut quilibet ex his primum brevem enuntiet sententiam, alter deinde eadem recitata sententia aliam addat, deinde item faciat tertius, donec ultima persona aliquam imponat sententiis conclusionem. Huic exercitationi memoria teneo me meosque sodales sic satis fecisse. Nam prima persona his verbis initium fecit: «Hodie dum autocinetum rego aliud vidi autocinetum.» Deinde altera persona: «Hodie dum autocinetum rego aliud vidi autocinetum. Erat hoc autocinetum rubrum, nitidum, pulcherrimum.» Deinde tertia: «Hodie dum autocinetum rego aliud vidi autocinetum. Erat hoc autocinetum rubrum, nitidum, pulcherrimum. Insuper meo autocineto agebatur celerius.» Postremo quarta et ultima persona: «Hodie dum autocinetum rego aliud vidi autocinetum. Erat hoc autocinetum rubrum, nitidum, pulcherrimum. Insuper meo autocineto agebatur celerius. Sed non iam; nam custos publicus sum.» De hac methodo nunc satis dictum. Cum alteram autem methodum adhiberet Annula a nobis poscebat ut quapiam imagine proposita



Participes Conventiculi. Personae, quarum mentio in narratiuncula fit: In primo ordine, a dextera - Terentius, Annula, Eleanora, Vincentius; In se- cundo ordine, tertius a sinistra - scriptor. In paenultimo ordine, a sinistra primus, alba camisia induitus - David - tertius, nigra camisia induitus - Iacobus - in eodem ordine, secunda a dextera, rosea camisia induita - Salliola.

nobis et accurate considerata fingeremus quid unaquaque persona ibi depicta diceret. Ut descriptionem vobis lectoribus intelligibiliorem reddam, exemplum afferam quo modo David, qui est professor linguae Francogallicae in civitate Carolina Septentrionali quique tunc facultate et Latine et iocose loquendi inter nos omnes eminebat, hoc pensum soluerit. Imagini enim, quam videtis (vid. pag. 4) dedit quae sequitur explicationem. Femina, quae in media scaena sedet, clamat: «O Romeo Romeo, quare vocaris Romeo?» Histrio autem iuxta eam stans dicit: «Utrum diutius existam necne, haec est quaestio.» Deinde ipse Hastivibrans (id est, Shakespeare) in scaenam progressus spectatores alloquitur: «O Amici, O Romani, vos qui eandem habitatis atque ego patriam, vestras mihi commodate aures.» Spectatores vero vociferantur: «En taediosi actores, verba inania! Profecto Hastivibrans iste melius scribit Anglice quam Latine.» Tunc et alias Davidis iocoso ingenio plurimum gavisi sumus.

Sed nunc transeam ad Terentium necesse est, quippe qui aliquotiens ipse ducis munus suscipere dignatus sit. Tunc vero quanta apparebat eruditio- nis ubertas, quam accurate observationes, verba sententiaeque quam elegantes quam limatae! Omnes mirabamur documentum



coram aspicientes homo huius etiam aetatis diligentia sane ingenioque adiutus facultatem quam exercitatam penes se posset possidere emendatumque sermonem.

Participes autem ipsi inter nos eramus non mediocriter concordes affectusque amicos assidue colebamus, non solum intra ipsas sessiones sed etiam extra, una saepe prandentes et cenantes. Et mihi quidem hae horae quas extra sessiones cum condiscipulis degi et iucundissimae fuerunt et utilissimae. Nam nos qui studio Latine sermocinandi ardebamus sessione etiam finita socios facile inveniebamus cum quibus pro cuiusque et ingenio et scientia sermones sereremus Latinos, quibus multum doceretur, multum disceretur, multum gauderetur.

Quinta autem dies conventiculi est tota lusibus et remissioni dedita animi, cum iter una faceremus ad locum quandam Collem Amoenum (Anglice:

Pleasant Hill) appellatum et ob res olim ibi gestas clarum, quippe in quo loco secta Christianorum Quatientium (Anglice: Shakers) vicum suo peculiari ritu considerit habitaveritque. Hic visebamus aedificia permagna alia centum abhinc annos alia ducentum ingeniose exstructa instrumentisque satis miris instructa, velut cella refrigeratoria, ubi glacies totum fere annum servari posset, aut anabathro quodam rotis moto, quo cibi in culina praeparati statim et facile ad cenationem adlevarentur.

Sed diebus labentibus vitari non potuit quin tempus tandem esset inter nos valedicere ac discedere. Ea nocte, qua ultimum liceret nobis una cenare, cena praebita est subdialis quam participavimus omnes. Tunc fine iucunditatis noctisque umbra appropinquante cantus Latini inter quosdam sodales orti sunt, quibus postmodum multi nostrum vocem contulimus horas iucundas quam modo possemus diutissime producere avidi. Ultimum cantatum est carmen ab Eleanora, Profestrice Graecae Linguae apud Universitatem Ottawensem, ad modum notissimi illius carminis compositum quod carmen ab ipsis primis verbis «*Gaudeamus igitur*» vulgo nuncupatur.

Cum novum carmen affectus nostros quos tunc vehementer sentiebamus bene exprimere videatur, eius versibus liceat etiam narratiunculam finire meam.

*Gaudeamus igitur
dum Latine loquimur!
Post iucundas sessiones
atque laetas orationes
nos habebit munus.*

*Vivat conventiculum,
vivant duces optimi
Vivat membrum quodlibet
vivant membra quaelibet,
semper sint in flore.*

Professori Terentio Tunberg pro castigationibus accuratis gratias ago permultas et debitas.




DE THEATRO ANATOMICO

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Cum ad conventum Latinum hoc anno in Finnia participandum iter facerem per Suetiam, paulisper moratus sum Upsalae, ubi anno 1477 prima totius Scandinaviae studiorum universitas condita est. Carolus Gustavus rex universitatem anno 1662 auxit aedificio c.n. Gustavianum, sub cuius tholo instructum est theatrum anatomicum.

Gustavianum nunc factum est museum; quod cum lustrarem, didici inter annum 1663 et annum 1766 tantum decem cadavera ibi dissecta esse; nam ad anatomicum usum solum sceleratos homines adhibere licebat, de quibus in ipsa urbe Upsala supplicium sumebatur. Post annum 1766 theatrum anatomicum conversum est in bibliothecam. Anno 1950 in originalem statum restitutum, nunc est praecipua pars musei Gustaviani.



Upsalense theatrum anatomicum

Cum theatri pulchram structuram ligneam admirarer atque gradus ascenderem, in quibus usque 200 homines stare poterant, recordabar me medicinae studentem cadavera dissecuisse in oeco universitario, qui vocabatur «amphitheatum», quamquam huius modi formam omnino non habebat. Ibi enim cadavera iacebant in nonnullis lapideis mensis, circum quibus stabant pauci studentes, unusquisque quandam partem dissecans. Circa nulli erant gradus...

Haec animo volutans, plura scire cupivi de primordiis anatomiae.

Anatomia tempore Romanorum significabat corporis dissectionem. Nostris temporibus significatio mutata est sive in inquisitionem scientificam organorum omnium viventium, sive in descriptionem formae, dispositionis structuaeque eorum organorum. Vocabulo anatomiae hic utar sensu moderno; pro sensu antiquo adhibeo vocabulum dissectionis. Notanda est etymologia Graeca anatomiae: ἡ ἀνατομή est incisio longitrus facta et re vera cadaverum dissectiones diu solum constiterunt in abdominis thoracisque incisionibus ab inferioribus ad superiora factis.

Iam antiquitus factae sunt cadaverum dissectiones. Etiam fertur Alexandriae tertio saeculo p.Chr.n. nonnullos sceleratos dissectos esse vivos.

Post imperium Romanum in Occidente collapsum venit nox mediaevalis millennium circiter longa; qua aetate vix ullus progressus factus est cum in scientia anatomica tum in ceteris scientiis. Dissectio prohibebatur propterea quod corpus humanum habebatur sacrum. Ecclesia catholica, quae tunc temporis animos firmiter regebat, iubebat corpora post mortem servari integra. Hac de causa, exempli gratia, non licuit corpora Crucigerorum in Palaestina mortuorum coquere, etiamsi hoc modo eorum ossa in patriam reportari potuissent. Hoc vetitum confirmatum est inter Concilium in Palatio Laterano anno 1215 habitum.

Tertio decimo saeculo nonnullae luces noctem mediaevalem illustrare coeperunt. Tunc, gradatim sed lentissime, mentes transierunt e systemate magico in systema scientificum; apud doctos ambo systemata diutissime manserunt plus minusve

superposita.

Fredericus II de Hohenstaufen, caput Sancti Imperii Germanici, rex ambarum Siciliarum, vir eruditus rerumque omnium curiosus, cuius inter familiares erant etiam Iudei, Arabes et Byzantini, a clericis habitus est ut materialista atque Antechristus designatus est a Papa, qui eum anno 1227 excommunicavit. Ille Fredericus, in cuius regno erat schola medicinae Salernitana tunc iam illustris, duo consulta edixit anno 1230 et 1240, quibus iussit anatomiam fieri partem studiorum omnium chirurgorum, qui sectiones in vivo satis recte salubriterque facere possent.



Circiter annum millesimum, impulsu novi ordinis «burgensem», nonnullae urbes amplificari coeptae sunt, inter quas Bononia in Italia. Praeter feodalem ordinationem, quae ad solos nobiles spectabat, burgensem «communia» ordinari coepta sunt legibus. Hoc primum evenit Bononiae, scilicet inter annos 1116 et 1120. Notandum est primam totius Europae studiorum universitatem iam exeunte undecimo saeculo ortam esse in eadem urbe. Haec erat universitas ab omni tutela ecclesiastica libera, ubi magistri discipulique consociabantur ad aliquam disciplinam certis finibus circumscriptam pervestigandam atque ubi magister, dum quaerit, docebat. Initio magistri iuri soli studuerunt. Irnerius inter omnes eminebat, qui vocatus est «lucerna iuris»; leges Romanas glossis interpretatus est in duobus operibus quibus tituli sunt «Quaestiones de iuris subtilitatibus» et «Summa codicis».

Fredericus I, sacer Romanus Imperator, «Barbarossa» cognominatus, qui consiliis iurisconsultorum Bononiensium fructus erat, universitati beneficia concessit «Constitutione habita»: diversae universitatis scholae agnoscebantur ut societates sui iuris, in quibus singulis praesidebat dominus. Scholares, qui pro studiis itinera faciebant, erant in tutela Imperii.

Diu sola iuri studia florebant in universitate.

Tamen erant magistri, qui se ipsos «artifices» vocabant atque medicinam, philosophiam, arithmeticam, astronomiam, logicam, rhetorican grammaticamque docebant. Anno 1288 «communia» Bononiensia magistris medicinae eundem statum iuridicum in universitate concesserunt ac iurisconsultis: «Statuimus quod scholares forenses qui audiunt vel audient in futuro fixicam¹ a Magistro Tadeo et aliis doctoribus fixice gaudeant omnibus et singulis privilegiis quibus gaudent scholares qui student vel studebunt in civitate Bononiae in iure civili vel canonico ex forma alicuius statuti vel reformationis vel ordinamenti communis vel populi Bononiae» (De privilegio scholarium Magistri Tadei et aliorum doctorum fixice, MCCLXXXVIII).

Quae cum ita sint, non mirum est quod prima cadaveris dissektion, publicis tabulis mandata, Bononiae facta est. Hoc anno 1302 evenit, Bartholomaeo Varignana incidente, iussu magistratum ad argumentum afferendum in quadam controversa causa. Sequentes dissectiones Bononiae solum factae sunt anno 1316 in eundem finem; tunc temporis Mondinus dei Luzzi duas mulieres dissecuit.

Sed quarto decimo saeculo dissectiones vix quicquam attulerunt, quod augeret anatomiae notitiam. Dissectio tunc temporis est caerimonia publica regulariter ordinata, ubi tres personae partes agunt: lector sedet in cathedra unde recitat pracepta Galeni operis, secundum quae incisor cadaver dissecat; tertia persona est ostentator, qui virga saepe argentea partes detectas enuntiat. Dissectio etiam habetur ut poena post mortem; hac



de causa eo diuturnior est, quo gravius est scelus; generaliter fit intra duos dies. Caput etiam saepe absciditur.

Anno 1391 primum facta est dissectio in paeninsula Iberica, i.e. Illerdae (v. Lerida) in Catalonia. Anno 1404 primum Vindobonae, anno 1498 primum Lutetiae Parisiorum.

Vix ante quintum decimum saeculum dissectiones anatomicae aliquid novi contulerunt ad notitiam anatomiae humanae. Usque ad sextum decimum saeculum non fiebant in oeco speciali. Anno 1545 Carolus Estienne primum descriptis theatrum anatomicum; forma theatri vel potius amphitheatri optima ei videbatur in hunc usum. Mox omnes urbes, quae praestanti

studiorum universitate praeditae erant, voluerunt habere suum theatrum anatomicum. Omnia pulcherrimum Patavii (v. Padova) exstructum est.

Res mira: septimo decimo et duodecimo saeculo dissectiones etiam in doctorum privatis domibus factae sunt delectationis causa. Huius singularis rei nobis exemplum praebet Iohannes Baptista Poquelin cognominatus Molière in comoedia c.t. «Le Malade imaginaire» (II,5); ibi enim legitur medicum Thomam Diafoirum Angelicam invitare domum suam, ut cuiusdam feminae dissectione delectetur... 

¹ fixica = physica

DE ERASMO IACENTI



Vilhelmus van Best Roterodamus, qui est Melissae fidelis lector, ad nos misit hoc photographema Erasmi miserabiliter iacentis. Anno enim praeterito, mense Novembri, vandali statuam Erasmi everterunt, quae Roterodami posita erat ante ecclesiam Sancti Laurentii. Qui sint isti, quo modo fecerint, nemo scit. Sed haec veterima statua aenea, anno 1622 confecta, tam gravis est ut non ipse Erasmus propter casum laesus sit, sed pavimentum.

Statua, interea diu recondita in quodam horreo, mense Septembri huius anni reposita est suo loco, postquam multum disputatum est utrum opus originale reponeretur an exemplar. In futurum omnibus iterum licebit ipsum Erasmus in Platea Magnae Ecclesiae admirari. Nolite tamen oblivisci, si Roterodamum petitis ad Erasmus videndum, nolite oblivisci... subridere, nam facies vestra recipietur in pelliculam! Camera enim televisifica ibi sive iam locata est, sive locabitur, qua vastatores possint inspici.

INSCRIPTIONES SEPULCRALES SAEC. XIX QUAE ROMAE LEGUNTUR IN S. MARIAE DE POPULO

EXSCRIPTAE A THEODORICO SACRÉ

Sunt qui putent, sunt identidem qui dictitent saeculum XIX litteris Latinis fuisse tam infestum, ut purum protulerit nihil, suave nihil, nihil denique dignum quod etiam nunc legatur. Ita iudicantibus ego vero suaserim ut Urbem invisant; monumenta urbis tam antiquae quam renatae dum lustrant, oculorum aciem tanto splendore praestringi ne sinant obturative satietate, sed titulos quoque animadvertant, verba lapidibus inscripta strenue evolvant antiqua, recentiora, recentissima, quae tanta ibi profunduntur prodigalitate, ut Urbem hospites vel ad tirocinium quasi quoddam Latinae linguae allicere, vel venustate sermonis circumquaque apparentis captos apud se diu retinere voluisse credas. Neque ab optimis aevi antiqui recentiorisque exemplis procul distant tituli recentissimi, qui vel hoc vel superiore sunt conditi saeculo. Quin immo, postquam prolixitas illa nimisque arguta loquacitas, quibus aetas

litteraeque insigniebantur barocae, deferbuit, inscriptiones quoque ad normam Latinitatis optimae paulatim sunt revocatae. Itaque brevitas, gravitas, numerositas elegantiaeque in re epigraphica denuo eluxerunt. Unde non raro fit ut, qui Latinitate antiqua sint imbuti dicendique saec. XVII genus fastidiani, saeculi undevicesimi titulos vehementer probent atque iidem Stephano A. Morcellio e S.I. (1737-1821) gratias agant, quod eius viri opera ars titulorum condendorum pristinam reciperaverit dignitatem. Eminent autem inter omnes inscriptiones epitaphia, parcis aspersa laudibus, teneris temperata affectibus, versiculis interdum ornata ac verbis optime delectis. Namque licentia quaedam inscriptionum id genus erat propria. En tibi exempla Romana attuli pauca, quae in S. Mariae de Populo (portam iuxta Flaminiam) leguntur; exscripseram ipsa ante has tres hebdomadas, Urbem cum matutinam omnia lustrandi studio ductus pererrarem.

QVIETI ET MEMORIAE
KATHARINAE PETRI F. MARINI
QVAE INTEGRA PVDICA ANNOR. XXXIII
PIE OCCVBVIT XVI KAL. DECEMB. AN. MDCCCXXVII
MARITI ET FILII DESIDERIVM

QVEM TIBI CASTVS AMOR SOCIALI FOEDERE IVNXIT
HIC ILLE AD CINERES CONFICITVR LACRIMIS¹

* *

H.S.E.²
MARIA ANNA DE MAGISTRIS
ANNOR. XXVIII
FORMA EGREGIA MORIBVS INTEGRIS
SECUNDVS BIAMONTI
AD LACRIMAS RELICTVS
CONIVGI CARISSIMAE



Ab oblivione vindicentur ...

MONVMENTVM HONORIS PIETATISQVE CAUSA
FACIVNDVM CVRAVIT
VT CAESAR FILIOLVS
QVI VIX ORTVS CARET EXEMPLIO
AD EXVVIAS MATRIS SIT MEMOR

AVE LVX MEA ET VALE IN PACE
ANNO DOMINI MDCCCLVI

**

SALVE ET VALE
QVAE VITAM HANC D.³ XXV EXPERTA
AETERNAM IN CAELO QVAESISTI
NONIS MART. AN. M.DCCC.LVII
MARIA DELICIVM NOSTRVM
ANTONIVS DE LA ROCA PERVVIANVS
ET AEMILIA ELESPVRA CONIVX
PARENTES INFELICISSIMI
MEMOR VTI IVVES PRECANTES
AMORIS MON. POSVIMVS

**

MEMORIAE JOSEPH SEIFFER
CHYMICI DOMO BYSANT.⁴ QVI
TVRCAR. PERSECVTIONEM AVFGIENS
ROMAM VENIT
VIR PROBITATIS ANTIQVAE
SEPT. LINGVAS DOCTISS.
DEC. III KAL. JVL. MDCCCLX
AN. AGENS LIV
CAROLVS BORIONI BALESTRA
G.A.E.⁵

**

H.S.E.
ALOISIVS FEOLI
COMIS MORIGERVVS PIVS
QVI NAVVS INDVSTRIVS
SECVNDIS LABORIBVS CREVIT
OBIIT VII. ID. OCT. M.DCCC.LXX
FILIORVM DOLOR ET LVCTVS POSVIT

**

CAROLO FEOLI
QVI SEPTENNIS OCCIDIT

Ab oblivione vindicentur ...

OMNIVM AMORE DIGNVS
PARENTES PERFVSI LACRYMIS
MNEMOSYNON POSVERVNT
AN. MDCCCLXXIII

* *

HEIC SITA EST
AGNES IOS. NANNETTI ET CATHAR. CONJUG. F.
VXOR ANTONII LACCHINI
DOMO ROMA[NA]⁶
QVAE PRIMVM ET VICESIMVM ANN. VIX AGENS
DEC. DIE VIII FEBR. ANNO M.DCCC.LXII

QVAM TENET HIC TVMVLVS NITVIT PVLCHERRIMA VVLTV
DOTIBVS ET MVLTIS ANIMI PVLCHERRIMA FELIX
FILIA SPONSA PARENTS PRIMO EST PRAEREPTA SVB AEVO
SOLVE PRECES CINERI LACRYMAS HEV SOLVE VIATOR⁷

* *

CINERIBVS ET MEMORIAE
THERESIAE OLIVI BENVENVTI
DOMO CLODIA⁸ IN VENETIS
QVAE
VIX VRBEM ATTIGIT
IMMEDICABILI MORBO CORREPTA
DECESSIT
PRID. ID. XBRIS MDCCCLVI
AN. NATA XL
VIR CVM DVOB. FIL. AD LACR. RELICTVS
CONJVGI OPTIMAE INCOMPARABILI

* *

MEMORIAE ET NOMINI
MARGARITAE ARCANGELI
FEMINAE PIENTISSIMAE
FORTITVDINE ANIMI
AFFECTV IN SVOS
CONSTANTIA DATAE FIDEI
NEMINI SECVNDAE
DECESS. X KAL. APR. AN. MDCCCLXI
ANNOS NATA LVII MENS. VII
THOMAS ADVOCATUS MARTINI
CVM FILIA MARIA ANNA
POSVIT CVM LACRYMIS
VXORI CONCORDISSIMAE

AVE MARGARITA
VXOR ET MATER OPTIMA
VIVE IN DEO
MEMOR TVORVM

* *

HONORI ET MEMORIAE
AVGVSTINI E PRINC. CHISIIS
ORTI ARICIAE⁹ IV CAL. SEPT. A. MDCCCLVIII
QVI MILITARIS DISCIPLINAE VLTRO SVSCEPTAE
OFFICIQVE OMNIS RETINENTISSIMVS
IN ADVENTI¹⁰ ACIE VITAM PROFVDIT
A BARBARIS PLAGIS
AD CAELESTEM PATRIAM TRANSVECTVS
CAL. MARTIIS AN. MDCCCXCVI
AD LACRIMAS ET LVCTVM RELICTIS
MARIO PATRE PRINC. CHISIO ALBANIO
CVM ANTONIA MATRE PRINC. SAYN-WITTGENSTEIN
QVIBVS NEC LICVIT
COMPONERE DVLCES EXVVIAS

Bibliographia selecta

- V. Forcella, *Iscrizioni delle chiese e degli edifici di Roma dal secolo XI fino ai giorni nostri* (Romae, 1869-1884, 14 voll.)
- L. Huetter, *Le epigrafi che Forcella non poté copiare* (Romae, 1926)
- L. Huetter, *Iscrizioni della città di Roma dal 1871 al 1920* (Romae, 1959-1962, 3 voll.)
- A. Springhetti, *Latinitas perennis*, II: *Institutiones stili Latini* (Romae, 1954), pp. 292-330
- J. Sparrow, *Visible Words. A Study of Inscriptions in and as Books and Works of Art* (Cantabrigiae, 1969)
- I. Parisella, 'De Latinis inscriptionibus in memoria et recordationem puerorum puellarumque ab Antonio Angelini e S.I. compositis', *Latinitas*, 23 (1975), 271-279
- T. Scaldaferrri La Cava, 'Iscrizioni in distici latini su alcune piccole fontane di Roma', *Studi Romani*,

- 24 (1976), 376-381
- E. Piacentini, 'Inscriptiones Vaticanae Latinae recentioris aevi', *Latinitas*, 25 (1977), 37-40; 110-112; 179-189; 272-287; 26 (1978), 109-118
- J. IJsewijn, 'Morcelli epigrafista tra erudizione umanistica ed arte neoclassica', in *Stefano Antonio Morcelli 1737-1821. Atti del Colloquio su Stefano Antonio Morcelli Milano - Chiari 2-3 ottobre 1987* (Brixiae, 1990), pp. 13-40
- Garms J., 'Deutsche' Inschriften in Rom im 19. Jahrhundert ausserhalb der Nationalkirchen', *Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und Kirchengeschichte*, 86 (1991), 124-144
- I. Kajanto, 'On Lapidary Style in Epigraphy and Literature in the Sixteenth and Seventeenth Centuries', *Humanistica Lovaniensia*, 43 (1994), 137-172

Adnotaciones

¹ Est distichon elegiacum.

² Hic sepulta est.

³ Dies.

⁴ Byzantini vel Byzantinensis.

⁵ Grati animi ergo.

⁶ ROMA tit.

⁷ Sunt versus hexametri IV.

⁸ Id est (ut opinor) Clodiensis (ex urbe Chioggia vulgo dicta).


⁹ Id est in urbe Latina, quae Ariccia vulgo dicitur.

¹⁰ Kalendis Martiis anno 1896 militum Italorum milia V in pugna Aduensi (apud Aethiopes) sunt caesi.

DE ARANEA NIGRA

A. 1842 SCRIPSIT IEREMIAS GOTTHELF, IN LATINUM CONVERTIT NICOLAUS GROSS

Si quis in narrando studet adipisci facultatem graviorem, oportet se insinuet in magnam artem epicam, qua se perfundat, ut ingenium excolat. Itaque legi Ieremiae Gotthelf 'Araneam nigram', quam tantum admiror, quantum vix alterum opus litteraturae mundanae.¹ THOMAS MANN



Helvetiorum gens litteraram theodiscam ornavit haud paucis operibus mirabilibus. Inter saeculi proximi praeteriti auctores Helvetios insigniter praecellit trias poetarum: Godofredus Keller et Conradus Ferdinandus Meyer et Ieremias Gotthelf. Quorum unus describit cives oppidorum Helveticorum, alias reges et principes Europae aetatis renascentiae, tertius agricolas. Qui nomine originali appellatus erat Albert Bitzius, ipse sibi imposuit nomen, quod est Ieremias Gotthelf (1797-1854). Idem filius parochi in provincia Helvetiae Bernensi natus ex anno 1832 fuit parochus vici Lützelflüh in valle Emmana (Emmental) siti.

Ieremias stupenda cum abundantia verborum et magna cum inflammatione animi exponit vitam agricolarum. Fabulis Gotthelfianis insunt insidiae vicanae, contractus operandi, negotia argentaria, quaestiones usurae et anatocismi, petitio nuptialis, contractus conubiales, lites hereditariae, rixae et pugnae in caupona actae, nebulones, parcepromi, sementum, messis, partus, baptisma, mors, funus, calamitas, pestis, tempestates, procellae, eqs. Ut brevius dicamus: apud Ieremiam invenies πάντα τὸν τῶν γεωργῶν κόσμον.

Autochtones paeninsulæ, ubi nunc versor, cum sedule studeant theodiscas litteras artificiosas sermoni suo patrio mandare, non pauca opera classica iam bis vel ter Coreanice reddiderunt; sed usque nunc nulla exstat versio operis Gotthelfiani Coreana. Profecto propter vocabula et sententias Helveticae dialecti adhibita non ita facilis est aditus ad fabulas Ieremiae intellegendas. Nam ne Germanus quidem nisi diutius in Helvetia versatus aut commentario usus intellegit verba, qualia sunt *Götti* (patrinus), *Nidel* (cramum, flos lactis), *Munizehn* (flagrum e cauda taurina confectum), *Kalberrochtigi* (mores rupicis, bucconis, truncis, caudicis), *Schmutz* (non est sordes, sed adeps

suillus), *Trösseli* (dos), *gfelligst Düpfi* (filius albae gallinae, i.e. homo felicissimus). Quotus quisque Germanus est, qui divinet, quid valeant verba: *Worbet das Emd!* (Vertite fenum!) et *Wo chunnist, wo wottsch?* (Unde venis, quo vadis?)?

En habeas, candide lector, summarium *«Araneae nigrae»* a Ieremias Gotthelf scriptae: Qui poeta fabulam propriam artificiosissime circumclusit fabula marginali. In qua Ieremias Gotthelf exponit festum baptismatis quod die dominico agitur in locupleti praedio Vallis Emmanae (i.e. Emmental, prope Bernam, in Helvetia). Avus interrogatus, quare in pulchra villa permansisset praevetustus postis fenestrae nigratus, narrat fabulam propriam, quae funesta et daemonica perquam contraria est fabulae marginali serenae et hilari. Avus narrator res repetit ante sex saecula transactas, quarum auditores monentur poste fenestrae.

Agricolae Sumisvaldenses servitio praeduro equitis de Stoffeln premuntur. Castello laboriose constructo eques agricolis imperat, ut intra spatum unius mensis a Monte Myne centum fagos ad castellum advehant ibique ita inserant, ut fiat ambulacrum. Agricolis desperatis videtur vix fieri posse, ut hunc laborem ingentem spatio temporis praescripto perficiant. Tum diabolus persona venatoris viridis indutus pretio animae infantis non baptizati praebet auxilium. Christina fera mulier impia pactum cum satana contrahit spe adducta eum denique a se posse emungi. Idem autem postulat, ut loco nominis pacto subscripti sibi concedatur osculum, quod imprimis genae mulieris. Cum ambulacrum fagorum stupenda cum celeritate constructum sit, agricolae paulatim desinunt formidare adiutorem funestum: *Cooperunt computare, quanti maioris ipsi valerent quam infans non baptizatus, magis magisque obliti culpam alicuius animae causa contractam milies plus valere quam vitam milies millenorum hominum.*

Appropinquat dies, quo aliqua mulier infantem paritura est. Sacerdos timoratus intrepide pugna contra malum suscepta infantem modo natum baptizat. At in Christinae gena post osculum viri viridis acceptum exorta est nota, quae Christina vehementer dolente intumescens in dies similius fit araneae diadematae. Postquam sacerdos secundum infantem modo natum baptizat, atroci nota Christinae disrupta eiciuntur innumerae araneolae nigrae, quae incolis Sumisvaldae magnam calamitatem inferunt. Proxima muliere parturiente Christina tormenta infernalia patitur. Cum venenosis araneolis boves gregatim necati sint, agricultae parati sunt victimam postulatam offerre. Sed cum sacerdos infante baptizando etiam hanc pugnam ultimam supereret, Christina mutatur in araneam nigram necandi cupidissimam, quae homines veneno imbuit, ut horribiliter moriantur. Moriendo etiam horribilior est timor ineffabilis araneae, quae modo ubique modo nusquam versari videtur. Mulier aliqua Deo dedita, amore et fide materna, vitam suam offerens araneam cnodeat includit foramina postis fenestrae praeparato. -

Tum auctor narrando breviter ad fabulam marginalem reversus in parte fabulae principalis secunda variat argumenta partis primae: Duobus saeculis post incolae Sumisvaldenses facti sunt opulenti, sed etiam superbi atque arrogantes. Christianus, unus e posteris illius matris, quae vitam suam obtulit ad araneam includendam, *arroganti cum impatientia* construit novam villam magnificam; vetustam domum poste fatali instructam permittit servis inhabitandam, qui aliquo vespere Natalis Domini in convivio postem fenestrae aperientes araneam liberant. Iterum aranea nigra horribiliter saevit, usque dum Christianus vita sua offerenda illam capit et recludit posti fenestrae. Posteri agricultae vivunt probi et bene morati: *homines araneam non timuerunt, quia timuerunt Deum.*

Avus, qui in fabula marginali inductus narrat fabulam principalem, in fine adnotat nigro poste fenestrae relicto conservandum esse illum *sensem vetustum, quo aranea inclusa sit ligno vetusto.* Cum postea convivae baptismales de fabula inter se colloquantur, patrinus iuvenis nepotem nasutum, qui rem narratam addubitet, leniter vituperans verbis effert, quantum valeat haec fabula ad homines docendos.

«Araneae nigrae» fabulam marginalem cum perleges, credes te participem illius cenae baptismalis agricultorum opulentissimae, quae fit serena cum tranquillitate. Cum apud Ieremiam leges ingruere tonitrua fulguraque, caput demittes et anxie petes refugium. Mirabilis est illa νεφελομαχία, pugna nubium. Subtilissime Ieremias describit commotiones animorum, pugnas animarum: sacerdotis fortitudinem heroicam,

angores et tribulationes miserae mulierculae parturientis, Christinae dolores horribiles et furorem daemonicum, agricultorum flebilem timorem et ignaviam, qui quaerunt victimas et hircos emissarios, ne luant poenam propriorum peccatorum. Ne dicam de aranea illa atrocissima. Haec omnia tam ingeniose exponuntur, ut non narrari quae gesta sunt, sed rem geri prorsus videoas admiratione et formidine et suspensione animi correptus. En artificem, en auctorem litteraturae mundanae praclarum! Iudicent censores aequi, num mihi contigerit, ut Ieremias Gotthelf fabulam fideliter converterem in sermonem Latinum.

*
* *

QUOMODO ARANEA NIGRA EXORTA SIT
ET SAEVIRE COEPERIT

Adhibitus est textus editionis, c.t.: Gotthelf - Erzählungen, Die Grosse Erzähler-Bibliothek der Weltliteratur (Harenberg Kommunikation Verlags- und Mediengesellschaft, Dortmund 1985, p. 36-48).

Omnis, qui adfuerunt, summe gavisi sunt, remoto omni timore, in sempiternum, ut putaverunt; virum viridem semel inductum semper eadem ratione posse induci.

Parata est magna cena, convivis e longinquo invitatis. Frustra sacerdos Domini dissuasit de iubilis et epulis, monuit, ut timerent et orarent, nam adversarium nondum esse victum, Deum nondum esse expiatum. Sibi in animo videri se non debere iis poenam luendam constituere, appropinquare poenam ingentem atque gravem e manu Dei propria missam. Sed ei non auditio esculentis potulentisque satisfacere voluerunt. Is autem abiit animo contristato, oravit pro iis, qui nescirent, quid facerent, et, ut erat pastor fidelis, orando atque ieunando pugnam paravit ad tutandum gregem sibi mandatum.

Mediis in iubilantibus fuit Christina quoque, sed insolito modo tranquilla, genis ardentibus, torvis oculis, facie mirum in modum micante. Christina, ut erat obstatrix perita, adfuerat parienti, animo audaci sine ullo timore testis assisterat infanti subito baptizando, sed cum primum sacerdos infantem aqua conspersit eundemque baptizavit in tribus summis nominibus, mulieri visum erat sibi imprimi ferrum fervidissimum in illo loco, ubi osculum acceperat viri viridis. Contremuerat terrore repentino, infantem paene humum ceciderat, indeque dolor

non erat minutus, sed in horas magis magisque fervebat. Christina primo quieverat, dolorem absteserat, in animo excitato graves cogitationes clam volutaverat; sed etiam atque etiam manu attingebat maculam urentem, in qua sibi sedere videbatur vespa venenosa aculeo ardenti forans medullam suam. Cum nulla adesset vespa fuganda, sed ictus fierent etiam atque etiam fervidiores, cogitationes terribiliores, Christina coepit genam ostendere, interrogare, quidnam in ea conspiceretur, iterum iterumque interrogabat, sed nemo aliquid vidit, et mox nemo voluit tempus terere gena aspicienda. Denique illa rogando assecuta est, ut aliqua mulier vetula genam perquireret; modo gallus cecinerat, dilucuit, tum vetula in gena Christinae conspexit maculam fere invisibilem. Hanc nihili facere, illa dixit, hanc mox evanescere, et abiit.

Deinde Christina sibi consolata est putans hanc nihili facere, hanc mox evanescere; sed dolor non minutus est et punctum parvum sensim crescebat, ut omnes eodem conspecto interrogarent, quidnam nigri esset in mulieris facie? Illi hanc rem non magni faciebant, sed Christinae talia verba quasi morsus dolorem efficiebant, graves illas cogitationes resuscitabant, et semper semperque cogitabat se eodem loco osculum accepisse a viro viridi, eodemque ardore, quo illo tempore quasi fulmine ossa sua percussa essent, nunc ea continuo aduri et arrodi. Itaque coepit insomniis fatigari, cibis comedendis os sibi videbatur aduri, inquieta huc et illuc circumcursabat, solacium quaerebat, sed non invenit, nam dolor etiam augebatur, punctum nigrum fiebat maius atque nigrius, ex eodem singulae virgae exigebantur obscurae, versus os autem maculae rotundae videbatur inseri gibbus.

Ita Christina patiebatur die noctuque, nulli homini pandens se angi intimis sensibus, et quid accepisset in illo loco a viro viridi; sed si scivisset, quo modo liberari posset ab hoc dolore, profundisset omnia caelestia atque terrestria. Quae natura erat mulier ferox, nunc dolore saeviente efferata.

Tum factum est, ut iterum aliqua mulier esset paritura. Nunc non magnus fuit timor, homines fuerunt hilares; cum primum recto tempore sacerdoti providerunt, opinati sunt a se ludibrio haberi posse virum viridem. At Christina aliter sensit. Quo propius appropinquabat dies natalis, eo horribilius gena urebatur, eo fortius punctum nigrum augebatur, e quo insigniter extensi sunt pedes, exacti sunt breves capilli, in cuius dorso apparuerunt nitida punctula virgulaeque, cuius gibbus factus est caput, e quo quasi vero coruscaverunt duo oculi truces et nitidi. Omnes clamorem tollebant, quandocumque conspexerant trucem araneam diademata faciei Christinae insitam, pavore et formidine completi fugiebant,

cum vidissent araneam faciei insidentem ex eadem excrevisse. Homines autem varia loquebantur, alii alia suadebant, sed nemo invidebat Christinæ, quidquid id erat, et omnes eam evitabant et fugiebant, ubicumque poterant. Quo magis homines fugiebant, eo magis Christina instigabatur, ut eos insequeretur, ostiatim vehebatur; sensit quidem se a diabolo moneri infantis devoti; ut ore libero hominibus persuaderet, ut offerrent, eos persequebatur infernali angore affecta. Sed ceteri hoc parum curabant; quibus Christina torquebatur, illi non dolebant; putaverunt, eam propria culpa sibi contraxisse ea, quae pateretur, et, si Christinam non iam evitaverant, ei dicebant: «En hoc cura tu ipsa! Nemo infantem devovit, itaque nemo aliquem dabit.» Christina autem verbis iracundis invehebatur in maritum proprium. Qui ita fugiebat ut ceteri, et si fugere non iam potuerat, lento pectore Christinam alloquebatur hoc certe sanatum iri, hanc esse notam, quales multi haberent homines; quae si excrevisset, dolorem finitum iri, eandem facile posse vinculo astringi.

At interea dolor non finitus est, omnis pes araneae urebat tamquam ignis infernalis; araneae corpus Christinæ videbatur ipsum infernum, et cum illius mulieris hora adveniret, Christina sibi videbatur mari igneo circumvallari, quasi medulla cultris igneis perfoderetur, cerebrum perstringeretur igneis turbinibus. At aranea intumescebat, se arrectam tollebat, inter saetas breves protuberabant oculi truces. Christina dolore ferventissimo affecta cum animadvertisset neminem sui misereri, paritram bene custodiri, rabidae similis ingruit in viam, qua sacerdotem venturum esse scivit.

Idem rapido gradu praeter declivia properabat comitante sacrista valido; sole ardente viaque ardua non inhibitus est, ne progrederetur; nam agebatur de anima servanda, de avertendo malo infinito, ut ab aegroto quodam remoto veniens sacerdos sollicitaretur, num nimium cessavisset. Christina desperans ei viam praeclusit, genua eius circumplexa rogavit, ut e gehenna redimeretur, ut infans concederetur vitae nondum particeps, et aranea etiam altius intumuit, terribili nigredine coruscans surrexit in facie Christinæ robore suffusa, torpidis oculis atrocibus spectavit ad sacerdotis sacra signa instrumentaque. Is autem Christina celeriter semota se signavit signo sacro; vidit quidem adversarium, sed destitit a pugna, ut servaret animam. Christina autem prosiluit, rapide eum secuta extrema tentabat; sed furibunda sacristæ bracchio valido prohibita est, ne remoraretur sacerdotem, qui tempore posset domum tutari et accipere infantem manibus benedictis, ut imponeret manibus illius ab infero numquam superabilis.

Foris Christina interea pugnaverat pugnam terribilem. Enitebatur in manum accipere infantem non baptizatum, in domum introgredi, sed impedita est a viris fortibus. Venti domum impulsabant, fulgura lurida circa eam coruscabant, sed manus Domini erat super eam; infans baptizatus est, Christina inops atque frustrata domum circumcursabat. Tormento infernali magis magisque saeviente, sonos edebat humanis non similes, ut boves in stabulis tremerent restes suas abripentes, ut quercus silvestres streperent inhorrescentes.

Domi autem coeperunt iubilare de nova victoria parta, de viri viridis inopia, de eius subadiuvae irrita luctatione; sed foris Christina iacebat horribili dolore prostrata et facie parturibat cum tantis doloribus, quantos in terris nulla umquam puerpera erat experta, dum aranea in facie etiam atque etiam altius intumescebat, semper semper fervidius ossa Christinae perurebat.

Tum Christinae visa est facies subito disruppi, nasci in eadem carbones fervidi, vivescere, currere super faciem pruriens, super omnia membra, quasi vero in facie omnia vivescerent et ferventia currerent super totum corpus pruriens. Tum conspexit in fulgoris lumine lurido atroces, longipedes, innumeritas, nigras araneolas super membra excurrentes in tenebras nocturnas; et eas, quae evasere, secutae sunt atroces, longipedes, innumeratae. Denique Christina non iam vidit ullas sequi, facies eius desiit ardere, aranea decubuit, denuo facta est punctum fere invisible, oculis emorientibus persecuta est prolem suam infernalem a se partam et emissam, ut monstraret, quomodo vir viridis ludibrio haberi posset.

Christina defessa, puerparee similis, furtim domum se subduxit; quamvis ardores faciei non iam tam servide urerent quam antea, ardores animi non erant minuti, quamvis membra defessa quietem desiderarent, vir viridis eam quiescere non iam passus est; qui, quemcumque corripuit, ita enim vexat.

Domi autem iubilaverunt et gavisi sunt diu non audientes boves in stabulo mugientes et furentes. Tandem tamen prosiluerunt, exierunt visum, terrore pallidi reverterunt egressi et nuntiaverunt vaccam pulcherrimam prostratam esse mortuam, ceteras furere et saevire more numquam viso. Ibi aliquid immane, aliquid monstruosum dominari. Tum iubilatio obmutuit, omnes secuti sunt boves, quorum mugitus sonabat per montes et valles, sed nemo scivit aliquid suadere. Tentatae sunt artes profanae et sacrae ad magiam arcendam, sed omnes frustra; priusquam dilucuit, omnes boves in stabulo morte prostrati sunt. Ut hic obmutuerunt, ita hic et illic alii coeperunt mugire; qui adfuerunt, audiverunt calamitatem in stabula sua ingruisse, se magistros in auxilium vocari a

dolorosis bobus formidine correptis.


Domum tam rapide se proripuere, quasi flammæ exigerentur e tectis suis; sed auxilium tulerunt nullum; ubique boves morte prostrati sunt, flebili ululatu completi sunt montes vallesque, et sol, cum vallem perquam laetus reliquisset, nunc inspexit miseriam horribilem. Sole splendente homines denique viderunt in stabulis, ubi boves ceciderant, borrire innumeratas araneas nigras. Quae super boves et pabula repentes quidcumque tetigerant, veneno erat imbutum, quidcumque erat vivum, coepit furere, brevi post morte prostratum est. Ab his araneis nullum stabulum, cui inerant, poterat purgari, quasi vero e pavimento crescerent, nullum stabulum, cui nondum inerant, poterat custodiri, improviso erepebant ex omnibus parietibus, acervatim de lacunari cadebant. Acti sunt boves in pascua: acti sunt in fauces mortis. Nam, ubi primum aliqua vacca pedem pascuis imposuit, humus vivescebat, nigrae, longipedes araneae pullulascebant, quasi terribiles flores Alpini, inrepebant boves, ut sonarent clamores horribiliter flebiles de montibus deorsum in valles. Hae autem araneae omnes illius Christinae faciei insidentis tam similes erant quam filiae matris; quales numquam visae erant.

Clamores miserarum bestiarum usque ad castellum perlati sunt, postea pastores nuntiaverunt boves suos cecidisse bestiis venenosis; praeterea eques de Stoffeln magis magisque bilem movens audivit, quomodo boves perditæ essent gregatim, audivit, qualis pactio contracta esset cum viro viridi, quomodo ille bis fraudatus esset, audivit araneas illi araneae, quae inesset faciei mulieris Lindaviensis, a qua sola foedus pactum esset cum viro viridi neque umquam recte explicatum, tam similes esse quam filias matri. Tum eques de Stoffeln acri ira incensus, postquam de monte equitavit, miseros increpuit voce tonanti se nolle perdere eorum causa boves gregatim; damna, quae cepisset, esse ab iis resarcienda et quae promisissent, iisdem esse standum, quae sua sponte fecissent, haec eis ferenda essent. Se nolle detrimenta capere eorum causa, si cepisset, iis sui causa sescenties poenam fore luendam. Ut idem caverent.

Sic eos allocutus est, minime curans, quantum iis imponeret; neque equiti succurrerit eos a se ipso coactos esse, ut illa facerent, sed facta iis assignavit. (...)

(sequetur)

¹ Cit. sec. librum, c.t.: Gotthelf, Erzählungen, Die Große Erzählerbibliothek der Weltliteratur, Dortmund (Harenberg Kommunikation) 1985, p.255. ☺



DE NOVIS LIBRIS

Tres libri Latini exspectantur a Societate Latina mox edendi. Hi tituli annuntiati sunt:

- C. EICHENSEER, *Miscellanea usui linguae Latinae dicata*: id quod diu desiderabatur! Ecce summa symbolarum, quas P. Caelestis Eichenseer dispersim divulgavit de Latinitate nostro tempori accommodanda.
- C. EICHENSEER, *De itinere Graeco*: occasione narrationis periegeticae ostenduntur varii aspectus Graeciae antiquae et recentioris.
- M. GONZALES-HABA, *Tacitus cattus*: cattus quidam nomine Tacitus de vita sua hilariter narrat; liber parvulis et adulescentibus et adultis destinatus, qui cattos amant.

Si vestrum exemplar vobis iam vultis reservare, scribatis ad Societatem Latinam, Universität des Saarlandes, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken.

V. HROMOV, *Dicta et proverbia Latina*, Tallinn, Kirjastus «Perioodika», 1997.

In Estonia, sicut in Russia aliisque regionibus «orientalibus», Latinitas plus plusque reviviscit; quare instrumenta didactica etiam multiplicantur. Hoc libro didactico continentur, non solum dicta et proverbia, sed etiam vocabularium, parva grammatica, lexicon nominum geographicorum (nostri temporis: nam insunt Bruxellae, Finnia et Peru), epitome historiae Romanae et, ad concludendum, «Pater noster» et «Gaudeamus igitur». Si quis plura scire cupit de hoc libro et de Latinitate Estonica, scribat ad auctorem Viaceslavum Hromov, Soc. Lat. Est. P.C. 94, EE-3053 Keila, Estonia / Eesti.



ERRATUM

In relatione nostra conventus Finnici (Melissa 79 p. 3) errorem fecimus, de quo Thomas Pekkanen monet haec: «Michael Vorbeck non est Finnus, sed summus magistratus Consilii Europaei Argentoratensis. Ergo dicta eius eo sunt magis memorabilia, quod non a partibus Finnorum, sed ex sede Europaea prolata sunt.».



LATINE LOQUEMUR ...

... anno proximo omnibus fere in terris !

In Italia mense Aprili fiet conventus de viis rationibusque linguae Latinae docendae penitus renovandis

In America mense Iulio fiet tertium conventiculum Latinum

In Hispania mense Augusto fiet seminarium (olim Belgicum) a Societate Latina institutum

In Helvetia mense Augusto fiet simile seminarium

In Bohemia mense Augusto fiet seminarium poetis scriptoribusque Latinis saeculi nostri dicatum

In Italia mense Septembri fiet symposium de lingua Latina - speculum Europae modernae

De his omnibus vos mox certiores faciemus, sperantes fore, ut quam plurimi vestrum quam plurimos conventus Latinos velint participare.